

12. Quia tamen multi multa objiciunt contra dictam idearum realitatem, esse illud vicarium pro nihilo ducentes, unde existit, ut videre nequeant, quomodo idea Dei ipsum Deum existentem pro causa exemplari requirat, operæ pretium est, ut nova accedat exercitatio, rem illam pleniùs declarans, objectionum addita solutione.

EXERCITATIO XV.

Cogitationum nostrarum simplicium sive idearum esse vicarium seu objectivum non est nihil, sed aliquid reale & perfectum in ipsis.

1. **D**Uplex in omni idea, in omni imagine esse consideramus, quorum unum ab altero variis nominibus distinguimus, jam reale & intentionale, jam materiale & formale, jam formale & objectivum, jam proprium & vicarium opponendo.

2. Secundùm prius esse ideam in mente nostra esse aliquid, non nihil, difficultate caret, realem enim mentis operationem omnes agnoscunt eamque ad prædicamentum Actionis referunt & actum immanentem appellant, & experimur manifestè,